



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 67. Scriptores A catholici hoc anno denati, eorumque lucubrationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

scopus Dublinensis, qui elucubravit ca- Sæc. XVII.
 techismum de religione & regimine, A. C. 1698.
 tractatum de natura fidei & hæresis,
 catechismum Politicorum, tractatus
 de efficaci remedio contra Atheismum
 & hæresin, & Primatu Dublinensis Ar-
 chiepiscopatus, Historiam Iconocalasta-
 rum, Manichæismi & Pelagianismi,
 necnon Pugnam fidei & rationis cum
 renascente Pelagianismo & Manichæis-
 mo. VI. Carolus Bouquin Ord. FF.
 Præd. scripsit sermones Apologeticos
 Catholicæ Ecclesiæ contra Novatores,
 tractatum de origine, & utilitate Sta-
 tus Religiosi in Ecclesia, Institutiones
 Christianas, & Annum Apostolicum.

§. LXVII.

*Scriptores A catholici hoc anno de-
 fundti, eorumque lucubrationes.*

Ex Scriptoribus A catholicis paucos
 recensemus, ex quibus præcipuus Hoffman.
 est Joannes Henricus Heideggerus ex Lex. Univ.
 venenato calamo notus Calvinista, ex Niceron.
 venenato calamo notus Calvinista, scri- fol. 7. p. 205.
 psit Historiam Papatus mendaciis &
 calumniis scatentem, exercitationes
 Biblicas, Corpus doctrinæ Christianæ,
 diatribam de Paschate emortuali Christi,
 apologiam de Augustanæ Confessionis
 cum fide Reformatorum consensu, ana-
 tomen Concilii Tridentini, enchiridion

Hh 4

Bibli-

Sæc. XVII. Biblicum, Historiam Patriarcharum,
 A. C. 1698.

II. Joannes Casparus Schade Lutheranus ac Pietistarum Parens, scripsit in ea verba: *quid oportet me facere, ut salvus fiam*, manuductionem ad Christianismum, instructionem de modo legendi Biblia, præter alia quamplurima: obiit die vigesima quinta Julii tanto apud suos odio, ut eadem die, qua sepultus, ipsius sepulcrum tam furiose conculcicaretur, ut ne vestigium quidem illius superesset. III. Daniel Colberg scripsit sciographiam Philosophiæ moralis, discursus de consuetudine irrationali, de errore populari circa mores, de tolerantia diversarum religionum in Politia, specimen Historicum de origine & progressu hæresum in Ecclesia, & Platonico - Hermeticum Christianismum. IV. Claudius Brousson Calvinista, qui ob seditiosos suos sermones in Galliis rotæ supplicio die quarta Novembris promeritas dedit pœnas: scripsit Statum reformatorum in Francia, animadversiones in Ameloti versionem Novi Testamenti præter epistolas & varia opuscula. V. Antonius Bynæus posteris reliquit libros duos de calceis Hebræorum, somnium de laudibus critices, libros duos de Natali & circumcissione Domini, dilu-

cida-

cidationem Psalmi CX. & vaticinii Jacobi, necnon librum de morte Christi.

Sæc. XVII.

A. C. 1699.

§. LXVIII.

Francisci Feneloni Cameracensis Archiepiscopi liber de vita interiore.

Agitabatur hoc anno in Galliis gravissimi momenti causa, cujus eventus universi pene Orbis expectationem suspensam tenuit. Actores erant duo in Francia pietate ac eruditione illo ævo longe spectatissimi Præsules, Franciscus Fenelon de Salignac de la Motte Cameracensis Archiepiscopus, & Benignus Bossuetus Episcopus Meldensis. Ille maximo erga Deum & Religionem studio incensus, non modo Hugonotorum conversioni, sed etiam nominatus Neo-Catholicorum Superior verbi Divini prædicationi indefesso studio insudavit, cunctasque diei horas aut propriæ, aut aliorum salutis promovendæ impendit: Scripserat præter tractatum de ministerio Pastorum, etiam libellum de educatione Filiarum tantopere a cunctis deprædicatum, ut ipsemet Ludovicus Rex hujus Viri eruditionem, pietatemque admiratus, eundem Nepotibus suis, Burgundo, Andegavensi, & Bitoricensi Ducibus Instructorem daret, ac postea ad Cameracensem Archiepiscopum

Journal des Sçav. Anno 1726. Annal. de la Cour t. I. Argentre Coll. Jud.

Hh 5

scopa-